

*Fecit vidua de sua farinula panem parvulum  
et attulit Eliæ.*

Léctio libri primi Regum

17, 10-16

In diébus illis:

- <sup>10</sup> Surréxit Eliás [prophéta] et ábiit in Sarépta. Cumque venísset ad portam civitátis, apparuit ei múlter vídua cólligens ligna; et vocávit eam dixítque: «Da mihi páululum aquæ in vase, ut bibam».
- <sup>11</sup> Cumque illa pérgeret, ut afférret, clamávit post tergum eius dicens: «Affer mihi, óbsecro, et buccéllam panis in manu tua ».
- <sup>12</sup> Quæ respóndit: «Vivit Dóminus Deus tuus, non hábeo panem, nisi quantum pugíllus cápere potest farínæ in hýdria et páululum ólei in lécytho. En cólligo duo ligna, ut ingrédiam et fáciam illud mihi et filio meo, ut comedámus et moriámur».
- <sup>13</sup> Ad quam Eliás ait: «Noli timére, sed vade et fac, sicut dixísti; verúmtamen mihi primum fac de ipsa farínula subcinerícium panem párvulum et affer ad me; tibi autem et filio tuo fácies póstea.
- <sup>14</sup> Hæc autem dicit Dóminus, Deus Israel: “Hýdria farínæ non defíciet, nec lécythus ólei minuétur usque ad diem, in qua datúrus est Dóminus plúviam super fáciem terræ”».
- <sup>15</sup> Quæ ábiit et fecit iuxta verbum Eliæ et comédit illa et ipse et domus eius per dies.

<sup>16</sup> Hýdria farínæ non defécit,  
et lécythus ólei non est imminútus  
iuxta verbum Dómini,  
quod locútus fúerat in manu Elíæ.

Verbum Dómini.